Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Synonime.

inconfessione locus misericordie est. Certissime igitur crede, nullo modo hesites, nullatenus de misericordia dei desperes. Habeto spem inconfessione, habeto fiduciam. Non desperes salutem, si ad meliora conuerteris. Qui enim ueniam de peccato desperat, plus se de desperacione quam de commisso scelere dampnat. Desperacio auget peccatum, desperacio peior est omni peccato. Corrige igitur te, et indulgentie habeto spem. Depone iniusticiam, et spera uitam, depone iniquitatem, et spera salutem. Nulla tam grandis culpa est, que non habeat ueniam. Quamuis enim peccator sis, quamuis sceleratus, quamuis infandis criminibus obpressus, ~~sorde~~ non denegatur tibi penitentie locus. Facile penitentibus diuina clementia subuenit, per penitentiam indulgentia datur, per penitentiam delicta omnia absterguntur. Homo.

Heu miserum me, spem perdideram, fiduciam amiseram. Diffideram animo, fractus fuerat animus, in desperacionem pene conciderat animus. Iam regressus sum ad spem, iam recepi fiduciam, spem indulgentie iam habeo. De pietate dei spero, de bonitate dei non dubito. Habitabo iam in spe, erexit me ad spem pietas eius, dedit mihi spem uite in penitentia. Si deus igitur respexit, si in auxilium mihi accesserit, si ad implendum quod cupio adiuuerit, hoc facere decreui, hoc statui, defixum hoc in animo meo est, euelli hoc ab animo meo non potest. Racio.

Deus tibi tribuat optata, deus uotis tuis faueat, deus uotorum tuorum te compotentem faciat, deus uoluntatem tuam in bono perficiat, deus uota tua confirmet, deus uotis tuis